Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8209
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

De peccatis et capitulatio

Infernus subtus conturbatus est in occursu adventus tui. Suscitabit tibi gigantes omnes principes terre. Surgere fecit de solijs suis omnes principes nationum omnium. Ipsi vocabunt et dicent tibi. Et tu vulneratus es sicut nos. Nonne factus es similis nobis. Detracta est ad inferos superbia tua concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea et operimentum tuum erit vermis. Quomodo cecidisti de celo lucifer qui mane oriebaris concidisti in terra qui vulnerabas gentes. Et dicebas in corde tuo. In celum ascendam super astra celi exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium. Ero similis altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacus. Qui te viderint ad te inclinabunt te et considerabunt. Hic est vir qui commovebat terram. Concussit regna. Et posuit orbem desertum et urbes eius destruxit. Vinctos eos non dimittebat carceribus suis. Omnes reges gentium omnes dormierunt in gloria. Unusquisque in domo sua. Tu autem projectus es de sepulchro tuo quasi stirpes inutilis. Sic sunt polluti et obvoluti cum hijs qui interfecti sunt gladio et descenderunt ad fundamentum lacus quasi cadaver pedibus conculcatum. Non habebis consortium. Quia eis in sepultura. Quia civitatem tuam disperdisti. Populum tuum occidisti. Non vocabitur in eternum semen